Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 341
Quelle:
Copyright:

Rectius item, ut etiam refert *Trithemius*, *Libros III. Regum* excipiunt *Cantica Cantic.* et *Regum quartus*, quem deinceps *Tobias*, *Job*, *Daniel* cum *Susanna*, *Judith*, *Esther* et *Machabaei* consectantur. *Fol.* 79. p. 2. *Incipit Prologus in Nouum Testamentum.* Ut *Cod.* penult.

Post legem ueterem respira petre &c.

Verum 27. quae ibi habentur Disticha, per *Aegidii* interpolationes ad 43. adcrevere. Legitur hic quoque, ut loco suo, jactatum illud a *Lambacherο Carmen de Virgine Maria*, dum nempe in *Historia Evangelica* de Angeli ad eam legatione agitur. *Actus Apostolorum* Codicem terminant, cujus ultimis 3. pagg. *Sermones* breves III. in *Decalogum*, de *Aduentu Domini*, et de *S. Stephano* manu Sec. XIV. adscripti sunt. Porro, quod Poetam nostrum Biblicum adtinet, cujus nihil dum praeter *Estherem* a *Casp. Barthio Adversarior.* L. XXXI. c. 15. insertam integri vulgatum est, eum e *tribus* modo recensitis *Codd.* et aliis secuturis egregie instaurari posse censerem, nisi hoc aevo laborandum potius videretur, ne *Virgilio*, *Horatio*que lector desit.

CXXVIII.

401 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 73. 4. per duas columnas exaratus, rubricisque distinctus post Codices CXXV. CXXVI. et CXXVII. est *Quartum* Exemplum *Aurorae Petri de Riga*, sive Paraphraseos metricae Bibliorum, quod itaque cum praecedentibus contendam. Initium facit ejus Praefatio prosaica inscripta: *Incipit prologus in pentateuco Moysi*, absque omni Autoris indicio. *Frequens meorum sodalium petitio cum quibus conuersando* &c. Pro *librum pentateucum moysi* legitur hic *librum geneseos.* Dein statim opus orditur: *Primo facta die* &c. In Prologo *Levitici* adest superfluum illud Distichon: *Uox autem domini moysen uocat* &c. Liber *Numerorum* inscriptus est: *Incipiunt quedam de libro numeri secundum beatum gregorium.* Liber *Deuteronomii* vero: *Incipit Prologus in deuteronomium.* Hunc Prologum, qui infit: *Hec sunt uerba quibus Moyses* &c. non memorat *Trithemius*, uti nec Prologum in *Judices* hujus principii: *Post iosue de iudicibus narratio fiat* &c. Sequitur *Ruth*, *Libri Regum*, *Tobias*, *Daniel.* Atque his *Vetus* Testamentum concluditur. De *Novo Codex* nihil continet nisi *Historiam Evangelicam*, quae incipit, ut alias: *Post legem ueterem respira petre* &c. et multas paginas extritas habet, ut adeo Exemplum hoc *Quartum* praecedentibus *Tribus* nec integritate, nec elegantia comparari queat.